



## **Qvadripartitae Conciones Stanislai Grodicii Societatis Iesv**

Qvarum Primae, Timorem Sanctvm Incvtiunt; secundae Fidem Catholicam confirmant; tertiae Spem erigunt; postremae diuinam in nobis Charitatem excitant ...

Continet sex Dominicas Quadragesimae, & coenam cum paßione Domini

**Grodzicki, Stanisław**

**Ingolstadii, 1609**

Concio II. Fides.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56003](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56003)

eum Patre in unitate Spiritus sancti viuit,  
& regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.



## CONCIO II.

### FIDES.

PARA.  
BOLAET  
VSVS PHI  
LOSO-  
PHIAE.

**Q**UARTA ab hinc Dominica, subieceram oculis mentis vestrę parabolam quandam, cui tota nostra innitebatur concio eam, vos & erectis auribus accepisse, & auidę (vt mihi quidem videbatur) degustasse recolo. Idipsum hodie à vobis, & maiori quidem iure exigo, eo quod ænigma, (vt illud Augustinus vocat) quod proponere institui, non vt primum illud, à me excogitatum est, sed ex ipsis Scripturę sacrę fontibus depromptum. Quod si iuxta commune verbum omne ænigma acuit intellectum, sanè multo magis id, quod à Spiritu sancto profectum est, & fidem informare & mouere poterit affectum nostrum.

*Ænigma  
acuit in-  
tellectum.*

Quare ne in exordio multis vos detineam, in hodierna concione, primum quidem parcemiam quam promisi referam, scopumque eius breuiter aperiam : deinde vero quod audistis Euangelium ad eam accommodare

*Prop. Es-  
paritæ.*

modare studebo. In priore parte fundamenta iacimus: in posteriori sensum Euangelij lecti magna ex parte promemus. In utraque vero Ecclesie Christi, sub finem vero synagogae Sathanæ signa prodemus. Cedant omnia ad laudē Seruatoris nostri Iesu, sponsaeque ipsius emolumentum singulare.

*Prou. 9.  
1. PARS.  
Paruulam  
cum sepo  
habet. Dna-  
rum scien-  
narum.*

*Stultitia.  
9. 17.*

*Sapientia.  
9. 1.*

Sapientia Patris æterni, per sapientem Salomonem proponit nobis typum duarum sceminarum, quarum alteram sapientiam, alteram mulierem stultam vocat. Similitudinem ego, vix aliam inter illas video, præter eam, quod hæc illius, stulta inquam sapientiae, eo modo quo simia hominis sit imitatrix. Proinde sicut sapientia ad arcem, (quæ in edito loco utiq; esse consuevit) ad cibum & potû, quendam vocat paruulos & insipientes: ita ista. *Sedit in foribus domus suæ super sellam, in excelso vrbis loco: ut vocaret transeuntes per viam, & pergentes itinere suo. Qui est paruulus declinet ad me. Et recordi locuta est. Aquæ furtiua dulciores sunt, & panis absconditus suauior. Ista est qualiscunq; similitudo. Cæterum differentiae multæ sunt admodum, quæ tum in iam citatis verbis: tum in illo capite notantur. Etenim sapientia edificauit sibi domum, excidit columnas septem. Immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, & ad mœnia Ciuitatis. Quorum penitus*

tus nihil de illa stulta muliere legitur. Neque enim ædificat ipsa sibi domum, neque excidit columnas septem, neque immolat victimas suas, denique & ancillis, & arce, & mœnibus Ciuitatis caret. Idcirco ipsa sola. *Stulta & clamosa, plenaque illecebris, & nihil omnino sciens, vociferatur, ac eos qui per viam recto pergunt itinere sollicitat, & ut ad se desectant suadet, persuadetque quibusdam vecordibus. Epulum vero quod nam vtrunque adornatur? Sapientia suum his describit verbis: Venite comedite panem meum, & bibite vinum, in quod miscui vobis, per panem phrasi hebræa, omne cibi genus intelligens, propterea paulo ante mensæ fecerat mentionem in qua varia solere ferculorum apponi genera nostis. Mulieris vero stultæ epulum conficitur ex pane, & pura (impura potius) aqua, quorum insuper vtrumque furtiuum esse, ex ore ipsius percepistis. Denique finis vtriusque est diuersissimus, imo è diametro contrarius. Qua de re sub finem concionis disse-*

*Ibid. v. 13.*

*Epulum carum.*

*v. 5.*

*Finis.*

iam vero videamus, quidnam per mulieres istas sapiens intelligat. Qui literæ vel historiarum potius, nimium inhaerent, in typographarum sceminarum non aliud quam puritatem & impuritatem significari volunt, asserentes per primam quidem castimoniam, per alteram vero luxuriam designari, nec aliud quic-

*Scopus parabola.*  
*1. Opinio*  
*Castimoniam*  
*et Luxuriam*  
*designari per*  
*has sententias.*

quicquam velle sapientem, quam monere ne quis vxore sua neglecta, adulteræ blandienti acquiescat. At vero ipsum etiam Salomonem in hoc suo ænigmate aliquid altius & animo spectasse, & verbis exprimere voluisse apertum est. Quorsum enim tum

*Insufficiens.*

*Ibid. v. 13.*

*2. Opinio*

*Iudeos & gentes.*

sapientiæ tam exacta descriptio, ac eruditionis frequens mentio: tum de altera muliere; illa inter alia verba: *nihil omnino sciens?* quæ enim scientia ad adulterium requiritur? Propterea alij per primam quidem mulierem populum Iudaicum à Deo electum, ac multis tum abstrusarum rerum significationibus diuinitus eruditum, tum beneficijs cum

*Psa. 147. 21*

*3. Opinio*

*Ecclesiam.*

*Et hæresim*

*denotari.*

*Optima.*

*Aug. tract.*

*97 in Ioan.*

*Greg. li. 33.*

*Moral. c.*

*26. Vide*

*Dominicâ*

*6. post Epi-*

*pham, Conc. 2*

mulatum clamante Dauid: *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua nõ manifestauit eis* per alteram vero Idololatrias intelligunt. Rectius id quidem: at optimè tota hæc parabola de Ecclesia Christi, eiusque æmula plena adulterio hæresi accipitur, prout illam sancti Patres intellexerunt, idque literaliter quem vocant sensu, iuxta regulas aliàs à nobis traditas. Quicquid enim singillatim de ambabus his sceminis dicitur, id Ecclesiæ & hæresi quadrat mirificè, prout iã videbimus. Quo etiam Euangelium hodiernum multum confert, & tam materiam quam argumenta nobis subministrat.

*Sapientia*

*Christus, et*

*qua ad eam*

*spectant.*

Itaque per sapientiam quidem, aut Christum Iesum Dominum nostrum, qui est æterni

Patris sapientia, aut Ecclesiam ipsius, eximia à Deo dotatam sapientia, aut Theologiam, quæ hanc nobis explicat sapientiam, vel potius hæc omnia simul: per alteram vero mulierem Sathanam ac perfidiam, *Mulier Sathā* maximè vero hæresim rectè interpretari ac *than, &c.* intelligete, & possumus & debemus. Porro sapientiæ prima quam audiuimus proprietas est, ædificare sibi domum, excisis columnis septem. Id egit Christus quando Ecclesiam, quam *domum Dei* Paulus vocat, sibi fabricauit, & tam in septem donis Spiritus sancti, quam in septem Sacramentis fundauit. Id facit Ecclesia quoque ipsa, quæ & domum ex viuis lapidibus sponso suo ædificat, & tam septem illis donis Spiritus sancti, quam septem Sacramentis vitur perlibenter. Nihil horum synagoga Sathanæ, hæresis & hæretici. Isti enim & septenarium numerum Sacramentorum pernegant, & quod Spiritu sancto plenos se esse asserunt, id tam facile ac veraciter à nobis negatur, quam impudenter & mendaciter ab illis affirmatur. Nam vt innumera taceam, quæ quæso isti septiformi gratia Spiritus sancti, quæ illis verbis recenset *Isaias. Spiritus sapientiæ* *Isa. ii. 7.* & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis; spiritus scientiæ & pietatis; & replebit eum spiritus timoris Domini, præditi erunt, qui, (vt vltima tantum perstringam) & timorem

*Euth. in as-  
fert. art. 6.*

rem Dei hypocrisim vocant, & pietatem in impietatem vertunt? Proinde non septiformem Dei spiritum, sed SEPTEM SPIRITVS NEQUIORES, quorum Christus Dominus meminit in Euangelio, IBI, apud eos habitare mihi nullum est dubium. Utinam vero tam crudeles habitatores aliquando tandem ex anima sua, per rectam fidem ac poenitentiam exturbare velint.

*SECVN:  
damm. Ex  
Siddima,  
mensa, vs.  
no.  
Ibid. v. 2.*

Secundā sapientiae proprietates, illis describitur verbis. *Immolavit victimas suas, miscuit vinum, & posuit mensam suam.* Eximia sanè Ecclesiae Catholicae descriptio. Hic enim immolantur victimae quotidie, per universum terrarum orbem, hic miscetur vinum cum aqua, in sanctissimo Missae sacrificio, de quo hunc Salomonis locū ante mille ducentos, & amplius annos Cyprianus intellexit Nec mirum: Verba enim illa, ita id ipsum clamant, ut nulli rei æquè propriè adaptari possint: idcirco hanc maximè germanam eorum esse intelligentiam necesse est. Hic deniq; proponitur mensa, de qua & sacerdos celebrans semper, & alij qui se ritè preparare volunt aliquando participāt. At obijciat Hæreticus, in Hebræo non esse in plurali *victimae*, sed victimam in singulari, ut scias unicam illam victimam, quæ in ara crucis est immolata, hic denotari. Rectè sanè om-

*Cyp. lib. 2.  
epist. 3.*

*Obiectio  
facta pro  
Catholica  
NOTA.*

nè omnia. Eadem omnino est hostia, & quæ *Mysteria*  
olim in cruce, & quæ nunc in altari immo- *sacrificij*  
latur: modus tamen immolandi est distin- *Missa,*  
ctus, quia illic iuxta normâ sacrificij Aaron  
cruente: hîc vero secundum ordinem Mel-  
chisedech incruente, sub speciebus panis &  
vini idem immolatur Christus Iesus. Addo  
& aliud, nempe non solum hostiam quæ of-  
fertur: sed etiam primarium sacrificantem  
eundem esse. Idem enim Christus est & sa-  
cerdos, & sacrificium, nos vero ministri tan-  
tum ipsius sumus. Grande mysterium!  
Grâde equidem, ideo de illo sic inquit Pau-  
lus. *De quo nobis grandis sermo, & in interpre-* *Heb. 5. 11.*  
*tabilis ad dicendum quoniam imbecilles estis ad*  
*audiendum. Quid igitur mirum hæreticos*  
quorum mentis oculos perfidia excæcavit,  
tantum non capere secretum, cum nec mi-  
nora velint intelligere? At capiūt veri Chri-  
sti fideles, intelliguntq; perbellè omnia qua-  
drare. Nimirū idcirco in Hebræo in singu-  
lari dici, quia ubiq; & vna eadēq; res est quæ  
immolatur, & idē princeps immolans: idcir-  
co vero à septuaginta Interpretib. Spiritu S.  
in spirante pluralem positum numerū, quia  
licet res sit eadem, modis tamen diuersis, &  
per tam multos quotidie immolatur, mini-  
stros. Qua de re præclare S. Andreas ad Egē  
inquit [Ego omnipotenti Deo, qui vnus &  
verus est immolo quotidie, nō taurorū car-  
nes,

*Testantur  
id qui in-  
terfuerunt  
Presbyteri,  
&c.  
Antiqui-  
tatem.*

nes, non hircorum sanguinem, sed im-  
maculatum agnum in altari, cuius carnem  
postquam omnis populus credentium mā-  
ducauerit, Agnus qui sacrificatus est integer  
perseuerat & vnus ] Porro cum hæretici ea  
quæ hîc tam clarè descripta sunt blasphe-  
ment; & omne omnino sacrificium à noua  
lege penitus excludant, non sapientiæ sed il-  
lius stultæ mulieris, de qua nihil tale legimus  
se esse filios ipsi produnt probantque eui-  
denter.

**TERTIA**  
*Demonstra-  
tio ex an-  
cillis. &c.  
Ser. 3.*

**NOTA.**

*Triplex  
modus  
Theologia.*

Tertia sapientiæ proprietates, illis contine-  
tur verbis. *Misit ancillas suas ut vocarent ad  
arcem, & mœnia Ciuitatis* Quid per ancillas  
sapientiæ intelligemus? Equidem accom-  
modatissimè ipsas philosophicas disciplinas.  
Sapientia enim increata Christus Iesus spõ-  
sæ suæ Ecclesiæ dedit sapientiam, Theologi-  
cam videlicet scientiam, cui ancillam adiun-  
xit, tam naturalem quam moralem philoso-  
phiam, cum omnibus earum partibus, qui-  
bus Theologia, tanquam domina ancillis v-  
titur. Quomodo? Primum instruendo illas,  
quid sentiant, & quibus nitantur principijs.  
Deinde mittendo eas per totum terrarum  
orbem, ut vocent tam Idololatrias, quam alios  
infideles *ad arcem & mœnia Ciuitatis*; ad Ci-  
uitatem inquam, de qua ipse Saluator ait.  
*non potest Ciuitas abscondi supra montem posita.*  
*Matt. 5. 15.* Postremo si ancillas istas, aliqua in re à recto-  
tramite

ramite declinantes animaduertit monet  
 illas & arguit, efficitque ut qualibet ritè suo  
 fungantur munere, propterea axiomata earum,  
 alia approbat, alia reijcit, alia corrigit.  
 Hæc ut olim ira etiam nunc, in Ecclesia Catho-  
 lica visantur vniuersa : imo nunc vel  
 maximè. Nunc enim ad Indorum Occi-  
 dentalium, & Orientalium, gentes innu-  
 meras, ad insulas latissimas, ad Iaponios, Si-  
 nenses, aliaque regna frequentissima, & ad  
 ipsos usque antipodas, hæc ipsa sapientia fa-  
 mulas istas suas ita mittit, ut hoc imprimis  
 tempore, parcemia siue prophetia hæc, ex-  
 pleri mihi videatur omnino, quando non  
 tam miraculis (quamuis nec ista desint, ra-  
 tiora sunt tamen quam olim) quam argu-  
 mentis & rationibus, ex vtraque philoso-  
 phia depromptis, & error gentilium con-  
 uincitur, & veritas quæ lumine naturali cer-  
 ni potest, edocetur; eoquæ iacto fundamento,  
 plenius de rebus fidei, quæ omnem superant  
 intellectum, ita gentes & nationes illæ in-  
 struuntur, ut ad arcem hanc & mœnia Ciui-  
 tatis innumeræ quot annis fiât accessiones.  
 Ista laus nostra qui Catholici sumus est pro-  
 pria, nobis hinc crescit gloria, crescit & læti-  
 tia, in Ecclesia Sanctorum. Quid apud hæreti-  
 cos? Nihil horum, nihil horum, nihil omni-  
 no, contraria omnia. Non ergo sapientiæ,  
 sed stultæ mulieris erunt affeclæ.

*Nunc pro-  
 phetia hæc  
 impletur  
 maximè*

*Psal. 149. 2.*

Z ;

Taceo

*QVAEST.  
de Philo-  
phia.*

*1. Obiectio  
hereticorū.*

*2. Ex Scri-  
ptura.*

*Fransisto-  
rum.*

*Vilitas  
Scholastica  
Theologia.  
NOTA.*

Taceo multa, quæ hîc fructuosè dici pos-  
sent, præsertim de mœnibus Ciuitatis huius,  
illud tacere nequeo, in quo vos ab hæreticis  
plurimū video diuexari; quādo videl. vt vos  
à scholastica Theologia, & ea quæ illi famu-  
latur Philosophia, absterreant, philosophos  
per ludibriū vos appellant, aut philosopho-  
rum discipulos, & illā ingeminant? Nonne  
tum sacra Scripturæ tum ijs rebus quas fide  
tenemus Philosophia est cōtraria? Nonne  
expressis verbis monet nos Apostolus; *Vide-  
te ne quis vos decipiat per philosophiam*, cui ta-  
men ita sunt præceptores vestri addicti, vt  
totam de Deo scientiā ad philosophiam tra-  
duxerint, eamq; Theologiam scholasticam  
nuncuparint? O nefas! Respondeo nefas sa-  
nè est maximum, quod nefarij isti homines  
comminiscūtur, non alia cum primis de cau-  
sa, quàm vt vos studiosissimos mei audito-  
res, qui non solum concionanti mihi, sed et-  
iam in scholis hanc ipsam Theologiam pro-  
fitenti aures accommodatis vestras, à tam sa-  
lutari, tum ad cognoscendā veritatem, tum  
ad regimen Ecclesiasticum, per necessario  
studio, vos, vos inquam auocent, & arceant.  
Verum absit vt præualeant, quinimo vestrū  
est, id quod ipsi acriter persequuntur arden-  
ter amplecti. Hoc enim vobis certo persua-  
deatis, vos nulla re magis & illis obesse, & Ec-  
clesiæ Christi prodesse poss., quā si solidæ  
huic discipline, solidam ac diligentē operam  
naua-

manaueritis. Nec miremini, eã ab Hæreticis tam acerbè oppugnari. Sicut enim canis nil moribus suis appetit acrius, quam baculum quo percutitur; & sicut fur & latro nihil magis abominatur, quã leges per quas iudicatur, & instrumenta iustitiæ quibus punitur: ita nihil mirum, si hæreticus scholasticam Theologiam persequitur, à qua arguitur, conuincitur, prostermitur.

*Similitudo*

Quare ut & vobis currentibus calcar addam, & meis promissis satisfaciã, omissis innumeris sacre Scripturæ locis, quibus vsus philosophiæ comprobari possit. Quid, n. docent aliud libri Salomonis penè integri, quã ad mores spectantem philosophiam? Quid Iob, quam naturalis bonam partem? Tot. n. providentiam diuinam philosophicis comprobant argumentis, ut plura percenseri vix possint. Sed his ut dixi prætermisissis, Ecce Saluator noster Iesus, in hac quã doctissimam cū Scribis, & Doctõribus habuit decertationem; ipsa sapientia patris, misit ancillas suas, id est, vsus est argumentis Philosophicis, quibus ita aduersarios conuicit, ut eis silentiũ penitus imposuerit. Quod & alias mirũ est quam frequẽter fecerit, sicut per occasionẽ alias ostendemus. Iã vero ex hac disp. demonstrabimus, quomodo Christus Dñs & argumentandi formis penè omnibus vsus fuerit, & rationes suas tã ex naturali, quã ex morali Philo-

*II. PARS.*

*Ex Eu. ar-*

*gelo probat*

*vsus phi-*

*losophiæ.*

*Status cau-  
sa.*

*Negat Chri-  
stus se vir-  
tute damo-  
nis eijcere  
demonia  
quod pro-  
bat.*

*1. Ex Politi-  
cis Syllogis-  
mo Cathe-  
gorico.*

sophia depromserit. Quod vt melius intel-  
ligatur status causæ in primis est nobis inue-  
stigandus, qua tamen in re non oportet nos  
multum laborare: clarū est enim ex occasio-  
ne expulsi dæmonis à Christo ortā esse con-  
trouersiam, cuiusnam virtute id perfecit,  
Pharisæis blasphemè asserentibus, IN BEEL-  
ZEBVB PRINCIPE DÆMONIORVM EICIT  
DÆMONIA, Christo vero negante, partem-  
que hanc validissimis comprobante ratio-  
nibus, & argumentis.

Quorum primū syllogismo constat Ca-  
thegorico, in tertio modo primæ figuræ cō-  
fecto, poniturq; ponē integer, dēpta inter-  
rogatione in hunc modū. OMNE REGNVM  
IN SEIPSVM, hoc est cōtra se ipsum DIVISVM  
DESOLABITVR. At secundum vos qui dicitis  
IN BEELZEBVB ME EICERE DÆMONIA,  
SATHANAS, seu regnum eius, IN SEIPSVM  
DIVISVS EST, Desolabitur igitur ET NON  
STABIT REGNVM EIVS. Cuius cum vos ipsi  
(subticetur id, sed est supplendum necessā-  
rio) contrarium videatis, stare videlicet re-  
gnū Sathanæ, iniquè me potestate dæmonis  
eijcere dæmonia calumniamini. Desumptū  
est autem argumentū hoc, ex altera Philoso-  
phiæ moralis parte. Maxima enim illa OMNE  
REGNVM IN SEIPSVM DIVISVM DESOLA-  
BITVR axioma est politicum, Quod ta-  
men non de quavis regni diuisione, & con-  
tentione,

tentione, sed de graui aliqua seditione in-  
 telligendum est: illa enim facile curatur, hæc  
 exitium regno parat. Atque ita assumptio  
 Christi optime procedit. Quamuis enim  
 certum sit, solere nonnunquam impios et-  
 iam Idololatrias, expellere dæmones, sicut &  
 olim famosissimum illum Magum Apollo-  
 nium Thyanaum, & nostro æuo in Iapo-  
 nia quosdam fecisse legimus: id tamen & ra-  
 ro fit, & vel ex composito, vel deprecatore,  
 vt fieri in Iapone nostri testantur. At verò  
 cum è contrario Iudæis constaret Christum  
 Iesum multos dæmones (idcirco ipsi Phari-  
 sæi in Euangelio loquuntur, in plurali **EIX-  
 CIS DÆMONIA**) imò integras eorum  
 legiones expulisse, & quod caput est, autho-  
 ritate & virtute propria, comminando, im-  
 perando, eosque torquendo (Hinc illa i-  
 psorum verba, *venisti huc ante tempus torque-  
 re nos*) id fecisse: constabit etiam euidenti  
 consecutione, quam fecit Christus, aut re-  
 gnum Sathanæ destructum iri, quod non  
 concedebant Iudæi, aut illos insigniter men-  
 tiri, ex odio & inuidia, tantam in eum con-  
 iiciendo calumniam.

Secundum argumentum Christi colli-  
 gere licet, ex illo quod sequitur, **ET DOMVS  
 SVPRADOMVM CADET**, quæ verba  
 quamuis possent forte simpliciter intelligi,  
 vt sint expositio præcedentium, quando e-  
 nim

*Quomodo  
 Sathan Sa-  
 thanam e-  
 siciat.  
 Vide Philo-  
 stratum &  
 Epistolas Ia-  
 ponicas.*

*Luc. 8. 30.*

*Mat. 8. 29.*

*2. A simili  
 ex Oeconomi-  
 cis.*

nim regnum desolatur, tunc domus corrunt, & vna supra aliam cadit: tamen quia propter alios Euangelistas ( licet dicere possemus vtrumque dixisse Christum, vt alias saepe ) Doctores in varias abeunt sententias, nos quoque eas recenscamus. Dux sunt praecipua. Prima per domum, & domum, illustres familias denotari, quibus inter se confligentibus, ruinam earum sequi necesse est. Secunda sermonem hic esse de domo ruinosam. Et si quidem primo modo intelligemus, res in primum argumentum recidet: sin vero posteriori, erit noua similitudo, qua idem quod prius confirmat, desumpto quasi axioma ex disciplina Oeconomica: sicut enim si cui Patrifamilias est *domus diuisa contra se* ( sic habet Matthaeus: Marcus vero *si domus super semetipsam disperriatur* ) id est discissos habeat parietes, certo is colligere potest quod domus illa non stabit, sed corruet, ita, *si Sathanas aduersus se diuisus est* corruet omnino. Quod tamen cum non fiat, neq; illud verum erit, me in virtute Beelzebub eicere daemonia.

*Euthym.  
& Tolet.*

*Mat. 12. 25  
Mar. 3. 25.*

*9. Ex Ethicis  
Syllogismo hypo-  
thetico.*

Tertium neruosius est, habetque validum ad hominem ( quod vocatur ) argumentum constans hypothetico syllogismo, qui tamen non integre ponitur, sed facile supplebuntur quae defunt. Duo autem probat: alterum quod & priorib. probauerat, nepe  
se

se non eicere daemonia in Beelzebub : alterum se virtute & potestate diuina id facere. Ea enim est consuetudo benignissimi Iesu, fere semper plus dare quam exigitur. Verba Christi apud nostrum Lucam sunt ista. **SI AVTEM EGO IN BEELEZEBUB EICIO DAEMONIA FILII VESTRI IN QVO, id est cuius ope & auxilio, EICIVNT? Vnde dempra interrogacione, a destructione consequentis, ad destructionem antecedentis tale formabimus argumentum. SIEGO IN BEELEZEBUB EICIO DAEMONIA, ergo & FILII VESTRI, eadem id agunt potestate. Sed hoc vos minime conceditis. Igitur illud quoq; falsum erit. Sumitur autem ratiocinatio ista ex illo principio Ethico. Boni viri est, quod de se ipso suis iudicat, idem de aliis simili in causa sentire : proinde si pharisaei boni viri essent, quales plebi videri volebant, idem de Christo, quod de filiis suis, eos iudicare par fuisset non solum in simili, sed eadem omnino in causa : imo quod ad Christum attinet meliori, cum illum & pluraquam filios suos daemonia eicere, & auctoritate propria id facere conspicerent. Hæc Christus nobis subiicienda supplendaque reliquit. Sicut & illud aliud, cuius id potestate faciat, quod clare in sequentibus explicat. Addit autem & aliam conclusionem, vel grauem potius comminationem**  
dicens

*Addit. com  
minatione.*

dicens. Ideo ipsi filii videlicet vestri IUDICES VESTRI ERUNT. Per filios vero non Apostolos ut quidam volebat ( Nam alias infirmum fuisset argumentum, eandem enim calumniam discipulis, quam Magistro Pharisæi imposuissent ) sed exorcistas Iudæorum intelligit, quorum & Iosephus, & alii faciunt mentionem. Porro iudices eorum dicantur filii, sicut Regina Sabba, & Niniuitæ ( de quibus in eodem capite Lucas ) futuri sunt iudices eorundem Iudæorum, condemnantes non tam lingua, quam exemplo suo infidelitatem eorum.

*Ioseph. lib. 8  
antiquit.  
cap. 12.  
Eslii exorcista.  
Luc. 11. 31.*

*4. Ex Meta  
physicis di-  
lemmate.*

Quartocum inquit Christus. PORRO SI IN DIGITO DEI EIICIO DÆMONIA, PROFACTO PERVENIT IN VOS REGNUM DEI. iam clare utrumque probat. Sciendum autem est, per digitum Dei Spiritum sanctum accipi Matthæo interprete, qui sic habet. *Si autem ego in spiritu Dei eijcio dæmonia, &c.* Per spiritum vero Dei, aut tertia sanctissimæ Trinitatis persona, ut volunt Patres ( tum propter varia gratiarum dona: tum quod sicut digiti è corpore & manu: ita Spiritus sanctus à Patre & filio procedat ) aut diuina vis & potestas intelligitur. Sicut Magi Pharaonis mysterium Trinitatis ignorantes, Diuinam tamen virtutem agnoscentes dicebant. *Digitus Dei est*

*Mat. 12. 28*

*Spiritus sanctus cur digitis comparatur.*

*Exod. 8. 19.*

*hic.* Itaque opponitur à Christo Spiritui nequam

quam, spiritus Dei, virtuti Beelzebub, vis  
 diuina. Per REGNUM DEI vero, intelli-  
 git regnum suum, id est aduentum Messia, *Regnū Dei*  
 qui sponsam & regimen Ecclesiae nouae sibi *aduentus*  
 formaturus venerat. Quare vis huius *Messia.*  
 argumenti dilemmate sic comprehendere po-  
 test. Vel ego, o pharisaei (inquit Christus)  
 virtute daemones eiicio daemones, vel digito  
 & virtute Dei. Si primum dicitis, condem-  
 nabimini, tum à filiis vestris (vt iam dictum  
 est) tum à Prophetis, qui (quod vos non la-  
 tet) hoc tempore Messiam venturum præ-  
 dixerant, vos vero per summam impietatem  
 contrarium affirmatis, nimirum pro diuino  
 Messia, scelestum aduenisse hominem, qui  
 virtute daemones peragat vniuersa. Sin vero  
 vt probatum est, ego IN DIGITO DEI E-  
 IICIO DÆMONIA, PROFACTO PER-  
 VENIT IN VOS REGNUM DEI, quod  
 est regnum Messiae, quod quia vos non re-  
 cipitis excusari nullo modo potestis, & ob-  
 noxii estis poenae grauissimae, nempe vt pro  
 vno Diabolo, septem alios nequiores reci-  
 piatis, quod etiam eueniet. Videtur autem  
 hoc & superiora argumenta, ortum habere  
 ex illo Metaphysico principio quo docemur  
 effectum qui soli supremæ causæ competit,  
 nulli alii adscribendum esse. Eiusmodi por-  
 ro effectus est, daemones propria autho-  
 ritate, & cum imperio eiicere, quod  
 Chri.

Christum facitatem animaduertebant  
Iudæi.

*5. Ex politi-  
cis a simili.*

Quintum Christi argumentum ducitur  
ab exemplo, & similitudine regni terre-  
ni, ad regnum spirituale, pendetque ex  
alio politico principio: quod quasi totum  
ponit dominus Iesus. Nam tamdiu, aut  
Rex, aut alius FORTIS ARMATYS IN  
PACE POSSIDET, sua, quam diu, FORTI-  
OR EO SUPERVENIENS NON VICERIT EVM,  
armaque vasa & spolia eius non diripuerit,  
suisque non distribuerit. Sed hæc omnia me

*Sathan a  
fortiori su-  
peratus.*

Sathanæ fecisse aut videtis aut videre certe  
potestis. Me igitur dæmone fortio-  
rem esse, ac proinde regnum Dei in vos venis-  
se censere debetis. Quid vero videbant Pha-  
risæi? Videbant primo eicere eum dæmo-  
nia, imperando illis ut exirent, quod & facie-  
bant. Videbant secundo VASA, id est homi-  
nes multos ex Sathanæ potestate à Christo  
eripi. Videbant tertio ARMA IN QUIBUS

*Arma eius  
direpta.*

CONFIDEBAT direpta. Quæ arma? Po-  
tentissima illa sunt meo iudicio, quæ Ioan-  
nes in sua Canonica describens inquit. Omne

*1. Ioa. 2. 16.*

quod est in mundo. concupiscentia carnis est, & cō-  
cupiscentia oculorū, & superbia vitæ. Istis enim

*Ioan. 12. 31.*

armis, princeps huius mundi (ut Christus Satha-  
nam vocat) subicit sibi mundū vniuersum.  
Quæ omnia cum per doctrinam, exhorta-  
tionem, comminationem, exemplum, aliis-  
que mo-

que modis à Christo Domino erepta Sathanæ animaduenterent Iudai, euidenter concludere poterant, eum non corpora solum, sed & animas ex Sathanæ potestate eripuisse: præsertim cum audirent eum etiam peccata dimittere. Et vero non ne omnia ista clarissima fuerunt signa, Christum dæmone fortiorem fuisse? Non igitur in Beelzebub, sed in potestate contraria Beelzebub eiecit dæmonia, illa videlicet autoritate, quam prophetæ Messiam habiturum vaticinati sunt, quapropter regnum Dei iam in illos venisse patenter apparebat. Quid vero per vltimum id est per SPOLIA distributa intelligemus? Id etiam si ad Christi institutū non applicaretur nihil referret, cum certum sit in parabolis non requiri, vt omnia ad vnguem applicentur. Marcus vero testatur hæc *in parabolis* dicta fuisse. Possumus tamen dicere Christum Dominum, partim eo quo hæc dicebantur tempore, partim postea quando animas è limbo, quas ibi Sathan detinebat eduxit, quando sedes, quæ dæmonibus paratæ erant suis concessit, quando templa, aras, & alia dæmonum domicilia Christianis attribuit, & quod caput est quando gentilium animas è faucibus dæmonum ereptas Apostolis, & illorum successoribus pascendas dedit, huic quoque dicto abunde fecisse satis.

SPOLIA  
quattuor  
modis distribu-  
ta.

Mar. 3. 28.

Sextum

6. Ex physici  
Enthymemate.

Sextum argumentum cum inquit Christus, QVI NON EST MECVM CONTRA ME EST Enthymemate quasi perficitur: Deducitur autem ex illo Physico principio. Contraria simul esse non possunt. Cum ergo & ego (ait Christus) Sathanæ, & Sathan mihi sit contrarius, nec ipse erit mecum, nec ego eius virtute dæmonia eiciam.

7. Indidem

Septimum eodem è fonte, eodemq; tenore progreditur, cum inquit Christus QVI NON COLLIGIT MECVM DISPERGIT; nec alia patet inter hæc differentia, quam quod illud à priori siue à causa, hoc à posteriori siue ab effectu concludere videatur. Effectus enim & opus dæmonis proprium est DISPERGERE: tum intellectum ad varia Idola, & sectas, tum affectum ad dissensiones, odia, rixas, bella, cædes, ac similia impellere: tum denique omnes per hærefes, schismata, seditiones, cõiurationes, ab obedientia tam Ciuilis, quam Ecclesiastici Magistratus auocare: quorum cum nihil, quin potius contraria à Christo, vnius videlicet Dei cultum promouente, pacem & concordiam commendante, armis & instrumentis bellicis minime vtente, omnibusque obedientiam suadente, fieri animaduertent Pharisei, nihil eum commune cum diabolo habere, liquido intuebantur:

ac proinde, quod Christum in principe dæ-  
moniorum eicere dæmonia asserent, ex  
mera calumniandi libidine id eos facere  
perspicuum erat.

Hæc & pro solida textus Euangelici le-  
ctio ( quod nos facturos polliciti sumus )  
& ad demonstrandum quomodo iuxta sa-  
pientis parcemiam, sapientia patris, vsa fue-  
rit ancillis suis, dicta sufficiant. Itaque  
sicut hic Christus Iesus, non vnam sed om-  
nes omnino ancillas suas, logicam in-  
quam, seu dialecticam, variis modis, nec  
non physicam, & Metaphysicam ( quæ na-  
turalis Philosophiæ partes sunt ) item Ethis-  
cam, Politicam, & Oeconomicam, in quas  
moralis diuiditur, *misi vt vocarent*, scribas  
istos & phariseos, si forte *ad arcem* fortissime  
& munitissimæ fidei venire vellent: ita spõ-  
sa ipsius id ipsum nunc quoque perpetuo  
facit: & tum per has ancillas suas, quarum  
opera maxime contra gentiles vitur: tum  
per se ipsam perque scripturæ & totius an-  
tiquitatis aperta testimonia, inuitat omnes,  
suadet, hortatur, vt tam ii qui Ciuitatem  
Dei nunquam ingressi fuerunt, tam illi qui  
se inde segregarunt, veniant ad eius mœnia  
supra montem positæ, extra quam nulla  
veritas, nulla salus. Hoc igitur agite obse-  
cro, quicumque aberrastis, & nolite imitari  
hosce Iudæos obdurantes corda sua, nec

*Conclusio  
cum exhor-  
tatione.*

mendacio potius quam veritati velitis fidem adhibere.

*Responsum  
ad obiectio-  
nes hereti-  
corum.  
Ad primam  
eam esse  
futilem.*

Quod vero ad duas illas obiectiones superius positas attinet, earum prima futilis & inepta; altera vero à nobis est. Prior tam est putida, ut recentiores hereticos non male de studiis meritos, eius valde pudeat: ideo iam non nisi à stultis ministris imperitæ plebi (cui ambiguitate verbi illudunt) obrudi solet. Nam philosophicis quoque utuntur argumentis, veris quidem raro, falsis autem & sophisticis per quam frequenter. Quid vero futilius quam asserere lumen diuinum naturæ humanæ insitum (cui omnia veræ Philosophiæ argumenta innituntur) lumini itidem diuino quod per reuelationem habemus contrarium esse? Non est contrarium ò miseri, sed superat intellectum, & ratiocinationem nostram quicquid nobis diuina traditum est reuelatione. Neque Philosophia repugnat Theologiæ, sed ei famulatur ut diximus, & si in aliquo à lumine aberrauerit naturali, ab ea corrigi se patitur. Id vero felicissime agit Scholastica Theologia, & in hoc vtilissime posita est, quod male habet hereticos. Quare? Quia docet quomodo eorum topismata sint dissoluenda: hæc odii eorum & simul calumniarum causa vnica.

*Curodit he-  
reticos The-  
ologia Scho-  
lasticam  
NOTA.*

Apo-

Apostolus vero Paulus tantum abest, ut hanc oppugnet doctrinam, ut maxime illi patrocinetur, eamque pulchrè explicet. Verba ipsius sunt. *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam: secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.* Vbi Philosophiæ quidem vocabulo per catachresin iuxta vulgi opinionem utitur, ne autem vocabuli similitudine decipiari, statim subiungit, se per verbum istud, non veram philosophiam, quæ ratione nititur, sed artem sophisticam intelligere: cuius quattuor ponit proprietates, primam dum eam dicit esse *inanem fallaciam*, qua naturam eius exprimit, secundam quod sit *secundum traditionem hominum*, tertiam quod procedat *secundum elementa mundi*, per quæ quid aptius intelligemus, quam ipsa quattuor elementa, & sensus nostros, per quos & ex iisdem elementis, & ex aliis creatis rebus cognitionem sumimus? quartam quod non sit *secundum Christum*. Istis vero conditionibus quia antiqui philosophi, & doctrina illorum referta erat, ideo eam Paulus abominatur, & monet ne per illam decipiamur. Et hoc ipsum nos de omnibus hæreticis dicimus, scribimus, demonstramus. Animaduertent id olim Patres, propterea Philosophos patriarchas

*Ad secundum Apostolum esse pronobis. Colos. 2. 8.*

*pseudophi-  
losophia  
quattuor  
conditiones*

*is abundant hæretici.*

chas hæreticorum nuncuparunt. Idem nos quoq; in nostris, sole meridiano clarius videmus, ideo vt simpliciores fugiant eorum sophismata diligenter monemus.

*Exempla.*

Subiiciam aliquot exempla, ex singulis hæreticorum nostri temporis classibus, vt omnes rem intelligant, & fraudes fugiant. Itaque inter alia axiomata Philosophorum antiquorum, vel sophistarum potius hæc numerantur. Primum, Deum hominem fieri non posse, id ipsum sentiunt & antiqui & noui Ariani. Secundum. Hominem ex virgine nasci non posse: hoc vrgent Anabaptistæ. Tertium vnum corpus in diuersis locis esse non posse: idem affirmant sacramentarii: hinc illa Caluini ea de re lo-

1. Ariano-  
rum.

2. Anaba-  
ptistarum.

3. Sacramē-  
tariorum.

Caluin. lib.

4. Inst. c.

17. sect. 24

*Impudētia  
Caluini.*

quentis verba [ Insane quid à Dei potentia postulas, vt carnem faciat simul esse, & non esse carnem. ] At non insanit Ecclesia, sed ipse Caluinus & mentitur & insanit. Mentitur calumniando Ecclesiam. Nunquam enim illa dixit, posse simul esse & nō esse carnem: sed docuit & docet longe quid distinctum, posse videlicet diuina potentia vnam & eandem carnem esse in diuersis locis. Insanit vero Caluinus, quando proprietates quæ separari possunt pro ipsa carnis reponit essentia.

4. Lutheri  
de equali-

Quarto asserunt quidam Philosophi, quos Stoicos vocant, omnia vitia & peccata

cata esse æqualia, quod & Lutherus tam cōtra rationem, quam contra scripturam mor-  
 dicus defendit. Rationes adferunt alii Phi-  
 losophi, qui & Stoicos confutarunt, & Lu-  
 theranos condemnabunt. Scripturæ in-  
 numera sunt testimonia: verum sufficiat  
 historia Evangelii hodierni. In ea enim  
 ipse Christus Dominus crassum errorem i-  
 stum, quasi ex professo modis omnibus re-  
 futat: atque tum à causa: tum ab effectu: tū  
 à pœna contrarium probat. Causam diuer-  
 sitatis peccatorum illam assignat, apud a-  
 lios Evangelistas, quod quædam sint con-  
 tra patrem, alia contra filium, alia con-  
 tra spiritum sanctum, quæ gravissima es-  
 se asserit. Ab effectu vero idem com-  
 probat, cum quædam peccata condona-  
 ri posse, alia vero, *neque in hoc saculo, neque*  
*in futuro, remittenda esse ait.* Quid his ver-  
 bis ad iugulandum errorem istum firmitus?  
 Si enim omnia peccata sunt æqualia, cur in-  
 æqualiter à iusto iudice Deo, & iudicantur,  
 & vel condemnantur, vel remittuntur, imo  
 vero quædam ne remittuntur quidem? De-  
 nique multiplicatio illa dæmonum, quæ in  
 magnis sanè pœnis reponenda est, aperte  
 hunc ipsum reprobat errorem. Sed ne in re-  
 censendis ineptis philosophorum axioma-  
 tibus, quæ hæretici complexi sunt, immorer  
 nimium, concludo illo Lutheri dicto, quod

*tate pecca-*  
*torum.*

*Refutatur*  
*tripliciter*  
*ex Euange-*  
*lio.*

**N O T A,**

*Mat. 12. 31.*

*Mat. 3. 28.*

*Mat. 12. 32.*

*S. Eiusdem*  
*spurcissimū*

Luthe. in  
lib. de Vita  
Coniugal.

de seipso protulit [ sicut in potestate mea nō est, quominus sim mas: ita minime situm est in me, ut sine muliere sim ] Et paulo post [ Magis necessarium est quam edere, bibere, purgari, expuere, dormire, ac vigilare ] Quæ est quæso inter ista & illud Epicuri dictum, Edē, bibe, lude, &c. differentia? Nulla sane alia, quam quod is qui ab omnibus etiam Ethnicis habitus est Philosophorum impurissimus, honestius locutus fuerit, de rebus quæ ipsa obtegit natura, quam Propheta Germanicus, & tertius Elias, ut sui Lutherum vocant, ô impudentiam, ô cæcitatem, illum prophetum existimare, qui etiam ipsas philosophorum quisquillas spurcitia sua superavit!

Conditio-  
nes à D.  
Paulo, post  
ea hæreticis  
familiares.

Colof. 2. 8:

Hæc sunt & sexcenta alia his similia sophistarum inuenta, quæ Paulus infectatur, hæretici vero in religionem Christianam inuexerunt, qui omnes illas condiciones ab Apostolo traditas complectuntur. Habent enim *inanem fallaciam*, in qua omnia istorum dogmata fundantur: sunt *secundum traditionem hominum*, quodque mirandum magis, hominum insulforum, & nequissimorum: sunt *secundum elementa mundi*, iuxta inquam elementa & alias res aspectabiles, sensusque nostros ac debilem intellectum, quibus ita addicti sunt hæretici, ut ultra ascendere nequeant. Propterea credit Lutherus

therus in Eucharistia esse verum panem, quia sensibus suis panis percipit accidentia: propterea Calvinus non credit ibi esse corpus Christi, quia quatuor sensus, videlicet, odoratus, tactus, & gustus, negant ibi esse. Denique axiomata ista, non sunt *secundum Christum*, qui ore suo illa protulit verba. *Hoc est corpus meum*, quibus solo auditu perceptis potius, quam aliis quatuor sensibus credendum esset, si mens laeva non esset. Idemque fit de reliquis hæreticis iudicium, qui ex emendicata à sensibus, & ex terrena rerum experientia notitiaque contra ea quæ nobis fides Christi credenda proponit, falsissimas formant sibi conclusiones.

At vero in Ecclesia Catholica secus feres habet. Ibi enim inanis fallacia locum habet nullum. Quomodo enim ibi falsitas reperiatur, ubi spiritus veritatis, atque adeo veritas ipsa doctorem agit perpetuum? Ibi non humanæ euanidæ, sed divinæ sunt constantissimæ traditiones. Ibi non secundum elementa mundi fit iudicium, sed è contrario ab his ad cœlestia & spiritualia mentis fit seuocatio. Ibi denique omnia sunt *secundum Christum* ubi regina sapientia ancillis suis recte vitur, easque mittit per totum terrarum orbem, ut & nos iam toties diximus, & mundus ipse testatur

*Mat. 26. 26**1. Cor. 11.**24.**A Catholici vero ab- sunt.*

vniuersis, miraturq; se hac ratione tot Christianorum myriades videre, quorum non multo ante ne vestigium quidem vllum apparebat. Sit nomen Domini Iesu benedictum in sæcula, qui quod cœpit opus perficiat vsque in finem.

*Philosophia  
non valet  
ad supra  
naturalia.*

Cæterum ad pleniorum eorum quæ dicta sunt intelligentiam, notandum est reginam sapientiam, Theologiam inquam sanctam, non uti ancillis suis, disciplinis videlicet philosophicis, ad comprobandum ea, quæ captum humani intellectus superant, cum hæc eo vsque pertingere nequeant, proinde per seipsam id expedit ab autoritate, non è ratione petitis argumentis. Ancillarum vero opera vitur tribus aut quatuor modis. Principio ad veritates, quæ lumine cognoscuntur naturali, cum aliis tum vero Ethnicis declarandas: secundo ad demonstrandum ea, quæ fide Catholica tenemus, creditu non esse impossibilia: tertio ad dissoluenda omnia sophismata quæ contra dogmata fidei nostræ, siue ab Ethnicis, siue ab hæreticis, siue à quibusuis aliis obiciuntur: postremo ad res fidei congruentibus quibusdam rationibus & similitudinibus declarandas & ornandas. Hæc vniuersa agit sapientia & sapienter, & feliciter, & fructuose. Quo duce? Christo & eius

*Valet ad  
quatuor a-  
lia.*

1.

2.

3.

4.

Apo-

Apostolis. Eximia sanè eorum quæ diximus  
 praxis habetur apud Paulum, qui oborta  
 questione de resurrectione mortuorum,  
 partem quidem aientem Christi exemplo,  
 & alijs Theologicis confirmat argumentis,  
 tanquam rem non cognitione modo natu-  
 rali, sed et natura ipsa longè superiorem: im-  
 possibilem tamen non esse resurrectionem  
 pulcherrimis tum rationibus, tum similitu-  
 dinibus commoñstrat, insipientes etiam vo-  
 cans eos qui contrarium sentiunt. Simili ra-  
 tione Christus Dominus in Evangelio ho-  
 dieño posito fundamenti loco, & dæmonẽ  
 eiectum fuisse, & naturali virtute id fieri nõ  
 potuisse, quod constabat omnibus etiam  
 Pharisæis; eius quod in controuersiam ca-  
 dere potuit, partem illam, se non Beelze-  
 bub, sed Dei potestate eijcere dæmonia, tam  
 validis probauit rationibus, vt & aduersa-  
 rij omnino obmutescerent, & philosophus  
 si adfuisset, remque intellexisset, pro Chri-  
 sto sententiam suam necessario dare debu-  
 isset.

*Exempla.*  
*1. Ex Paulo.*  
*1. Cor. 15.*  
*NOTA.*

*2. Ex Euã-  
 gelio.*

Verum de sapientia eiusque proprietati-  
 bus, & quæ eorum occasione occurrerant,  
 hæc dicta sufficiant. Quid? de æmula ipsius  
 nihil ne agemus? Deligamus aliqua, quo-  
 rum primum sit, in prioribus notatum ver-  
 bis. Dicitur enim hæc *mulier stulta*. Talis  
 omnino infidelitas, præsertim vero hæresis,

*QVART-  
 TA demõ-  
 stratio ex  
 æmula  
 stulta.*

*Prou. 9. 13.*

*Quadruplex e capitulum nostris hæreticis cæteris stultiores.*

*NOTA.*

& maximè nostri temporis. Stultum equidem est relictis, imo conculeatis certissimis Ecclesiæ Catholicæ traditionibus, falsissimis aut pseudophilosophorum aut coryphæorum suorum inniti axiomatibus, quod omnes faciunt hæretici, at insuper nostri quadrupliciter stultitia superant cæteros. Primo, quia ineptiorum philosophorum insunt vestigijs, ac dogmatibus: secundo, quia foedius de rebus turpibus loquuntur, quam ipsi spurcissimi Philosophi, ut in Luthero vidimus: tertio quia quod philosophi lege naturæ ordinaria fieri posse negabant: isti etiam ipsa omnipotentia Dei perfici posse negant, neque enim illi disputabant, quid posset facere Deus, sed illud tantum dicebant, nec vnum corpus in duobus locis, nec duo in vno esse posse spectato cursu naturæ communi. Denique ipsos etiam Iudæos, quorum fit mentio in Euangelio stultitia vincunt. Quæ enim stultitia maior, quam vocare se Christianum, & tamen Christi opera Sathanz adscribere? Nonne opus diuinum est demones eicere? Est sanè teste Christo in Euangelio. Id verò cum in Ecclesiâ fieri vident hæretici, negant quidem factum quamdiu possunt, sed si id nequeunt, præstigijs adscribunt. O turpissima in talium ore blasphemia! Nonne inuocato nomine Dei, Iesu, Mariæ, & aliorum

rum Sanctorum id fieri in Ecclesia auditis? qua fronte ergo cum Christianos vos esse fatemini, non CHRISTO, sed inimico CHRISTI id adscribitis? O utinam tandem, à tam immani respiscant amen- tia!

Reliquas proprietates pessimæ istius mulieris perstringo, & in summam redigo. Dicitur enim non solum stulta, sed & clamosa, vel ut est in Hebræo turbulenta, & tumultuosa. Quis eorum qui cum hæreticis conuersatur vtrumque ignorat? quantis videlicet clamoribus insultent Catholicis, & probra in eos iaciant, & sua dicta centies repetant, & à quæstione ad quæstionem se transferant, quomodo conuenticula faciant, turbas excitent, conspirationes & seditiones moliantur? Dicitur plena illecebris. Quæ illecebræ maiores, quam conscientia securitas, quam pollicetur, ieiuniorum solutio, confessionis abrogatio, votorum violatio, quæ omnia docet? denique cum dictis factisque suis, spiritui quidem fræna iniicit, carni vero habenas laxat, mirum est quam multos incautos, & sensui deditos, mulier ista his illecebris vinciat, & domum suam pertrahat. Dicitur, nihil omnino sciens, verè nihil scit, quam suas confusiones, quas despumat, & despumando alios inficit.

QVIN-  
TA demo-  
stratio ex  
eadem cla-  
mosa tur-  
bulenta.

Plena ille-  
cebris.

Ignorante.  
Ibid. S. 13.

Dicitur

PROV. 9. 14.

SEXTA  
demonstra-  
tio similiter  
ad infideles  
non eunte  
et.

Ibid. 6. 17.

Tum furti-  
va.

Tum ob-  
scura.

Tum dul-  
cis serpente.

Dicitur præterea de muliere ista. *Sedit super sellam in excelso urbis loco, ut vocaret transeuntes per viam, & pergētes itinere suo.* Quam verè & aptè? non enim proficiscitur ad Indos, ad Iapones, ad Sinenfes, ad alias gentes Idololatriæ deditas, ut illis Christum annūciat; sed sedens inter Christianos Catholicos pergētes *itinere suo* recto alloquitur, tentat, & nonnullos superat. Qua ratione? Ea quam subdit dicens: *Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior.* Quis non videt rem ira se ad amissim habere? Nō constantes, sed *transeuntes*, & instabiles vocat. Doctrinæ vero illorum nonne furtivæ, ut pote ex antiquis hæreticorum lacunis, penè omnes haustæ, additis nonnullis orthodoxis propositionibus, & alijs è suo cerebro depromptis? Nam & hoc est singulare summi Dei beneficium, quod vnam hæresim semel ab Ecclesia exturbatam eandē omnino postliminio redire non permittat. O bonitas! Denique nonne hæretici dogmata sua, tum verborum fucis, tum sensuum involucris, quamdiu possunt occultant? Adeo ut haud raro difficilius sit, opinioniones istorum agnoscere, quam confutare. Et vero cum sua, plenis buccis laudant, ac dulcissima suavissimaque se docere prædicant, nonne luculenter ipsis etiam verbis profitentur, se esse quibus hæc pars parabolæ

bolæ seruit maximè? Neque vero mirum id  
videri debet. Nam & aquas, è lacunis dul-  
ciores esse experientia : & furtiua suauior-  
ra reperiri Diui Augustini confessione didi-  
cimus.

*Aug. lib.  
confess 2.  
cap 4.  
Conclusio  
per exhor-  
tationem è  
sine Sirius 92*

Quare vt ad finem sermonem deduca-  
mus nostrum, vos ego qui à muliere ista,  
stulta, clamosa, fallacia & insciua plena, sedu-  
cti estis, per viscera misericordiæ Dei, perq;  
salutem vestram oro & obtestor, vt & fraudes  
meretricis huius agnoscere, & ab illecebris  
ipsius, pedem aliquando tandem referre ve-  
litis. Moueat vos, quæ satis multa, satisque  
euidencia, ad detegendam astutiam, menda-  
ciaque ipsius allata sunt argumenta. Moueat  
& exitus miserandus, & infelicissimus : qui  
enim applicabitur illi descendet ad inferos: nam  
in profundis inferni, conuiuæ eius, testatur Spi-  
ritus sanctus. Proripite igitur vos ab ea, fu-  
gite calumniatricem; nam qui abcesserit ab ea  
saluabitur, vt idem ibidem pronunciat: Sa-  
lutem autem nemo alius dabit vobis, quam  
ipsa sapientia increata, quæ edificauit sibi do-  
mum toti mundo conspicuam, quæ excidit  
columnas septem. tum septem dona Spiritus  
sancti, tum septem Sacramenta, quibus do-  
mus hæc innititur, componitur, perficitur,  
quæ immolauit victimas suas, immolatque  
quotidie, & immolabit vsque ad consum-  
mationem sæculi, in sacrosancto Missæ sa-  
crificio,

*Ibid. 9. 18.*

*Summa do-  
ctorum.*

crificio, in quo *miscuit vinum*, ac miscet huc-  
 usque, quæ *proposuit mensam suam*, omnesq;  
 ad eius participationem inuitat, quæ *misit*  
*ancillas suas*, mittitque continuo, vsque ad  
 ipsos antipodas, philosophicas videlicet di-  
 sciplinas, instruens eas, quomodo in addu-  
 cendis ad fidem gentilibus, se gerere debe-  
 ant, exemplo ipsius Christi Domini, qui  
 tum alias: tum in Euangelio hodierno, co-  
 piosè & neruosè, earundem ancillarum o-  
 pera vsus est contra aduersarios suos, quæ  
 denique vocat, *ad arcem & mœnia ciuitatis*,  
 quemadmodum Idololatrias qui innumeri  
 omnino quotidie Christum agnoscunt: ita  
 & te quicumque à mœnibus istis quoquo  
 modo te subduxisti. Reuertere igitur re-  
 uertere obsecro, vt eueniat tibi quod polli-  
 cetur, quæ mentiri nescit, eadem sapientia  
 dicens: *Per me enim multiplicabuntur dies tui,*  
*& addentur tibi anni vitæ: vitæ* inquã illius,  
 quæ vera vita est, vbi mors locum non habet  
 vllum, vbi dies perpetui, noctium ignorant  
 vicissitudines, vbi anni æterni, vbi Deus tri-  
 nus & vnus, videtur, amatur, laudatur,  
 glorificatur, in sæcula sæcu-  
 lorum, Amen.

*Ibid. 6. 11.*

\* \*  
 \*

☉)O(☉

CON.